

ait) nulla est ratio ad fingendam inter eos temporis successione. Sufficit enim ordo naturae et causalitatis. Christus enim resurgens fuit causa excitans alios: est, ut in instanti possit fieri, ergo simul incipit talis effectus cum sua causa. Neque hoc repugnat loco *Pauli*. Nam ut Christus dicatur *primitiae*, seu *primus resurgentium*, satis est quod nullus ante ipsum resurrexerit, et quod ipse prius natura resurrexerit, quam caeteri: ita ut licet eius resurrectio de facto non antecesserit duratione resurrectiones aliorum; tamen de se sit independens ab illis, aliae vero ab ipso pendeant. » Hucusque *Suarez*.

Porro, an ii, qui iuxta *Matthaeum* cap. 27, v. 52 *resurrexerunt*, deinde iterum mortui sint, alii affirmant, alii negant, quod ultimum *Suarez* loc. cit. probabilius esse ostendit.

Dices: Aliqui iam ante adventum Christi suscitati fuere ad vitam (1): ergo Christus non est *primus resurgentium*. R. Conc. ant. neg. cons. Licet enim aliqui ante Christum suscitati resurrexerint, tamen illi surrexerunt tantum ad praesentem vitam mortalem, rursumque mortui sunt: Christus vero primus fuit, qui resurrexit ad vitam beatam, gloriosam et immortalem. Ita *Chrysostom.*, *Theodor.*, *Theophyl.*, *Ambros.*, *Anselm.* et alii passim. Hoc igitur sensu Christus 1 Cor. 15, v. 20 dicitur *primogenitus mortuorum*, id est, ante omnes ad vitam immortalem resurgens et quasi renascens a mortuis. Vide *Cornelium a Lap.* (3), et *Suarez* (4).

46. QUARES XIII. *Qualis sit illa Pauli argumentatio* (1 Cor. 15, v.

(1) III. Reg. c. 17, v. 19. Item IV. Reg. c. 15, v. 21.

(2) Apoc. c. 4, v. 5.

29): ALIOQUIN QUID FACIENT, QUI BAPTIZANTUR PRO MORTUIS, SI OMNINO MORTUI NON RESURGUNT? *Et quid hoc loco intelligatur per baptismum pro mortuis?* R. Nemo vere doctus et eruditus hanc *Pauli* argumentationem mirabitur, aut quid baptismus pro mortuis fuerit ignorabit, si in scriptis pp. rite sit versatus. Nam s. *Chrysostomus* in 1 Cor. hom. 40 tradit, cum apud marcionitas e catechumenis aliquis mortuus esset, incolumem alium sub ferali lecto occuluisse, tum ad mortuum accedentes interrogasse, num vellet tingi baptisate: quo non respondente, is, qui sublecto erat, baptismum se admodum cupere respondebat: quare illum actione theatro potius quam sanctissimo mysterio digna, mortui loco baptizabant. Similiter *Epiphanius* haeres. 28 testatur, marcionitas tradidisse baptizandos se se nomine eorum, qui illoti decesserant; illos vero habuisse prae oculis apostolum, cum dogma de resurrectione in priori ad corinthios stabiliret.

NEQUE DICAS: Tali modo *Paulus* mores et superstitionem marcionitarum approbasset. R. Nego illatum. Neque enim illud putandum est, mores illorum, et superstitionem probasse apostolum; sufficiebat enim ad suum intentum (scilicet ad futurae resurrectionis mortuorum dogma adstruendum), si non deesse tunc demonstraret, qui se pro mortuis baptizandos esse, censerent. Ita enim fiebat, ut illos stringeret apostolus argumento, quod vocant, *ad hominem*, sic argumentando: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Quomodo morem illum suum defendent; qua causatione id a se praestitum ex-

(5) Comment. in Epist. I ad Corinth. cap. 15, v. 20.

(4) Loc. cit.

cusabunt, si nulla est mortuorum resurrectio? Vide *Calmeti* dictionarium biblicum verbo: *Baptismus*. Item eiusdem auctoris dissertationem de *baptismo pro mortuis* epistolis s. *Pauli* praefixam. Caeterum varias alias expositiones huius textus: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* recenset *Cornelius a Lap.* in hunc locum.

47. QUARES XIV. *Quomodo intelligendum illud* (1 Cor. 15 v. 51): OMNES RESURGEMUS, SED NON OMNES IMMUTABIMUR. *An ergo non omnium, seu electorum seu reproborum corpora mutabuntur in perpetuo duratura?* R. Mutabuntur, sed non omnium ad gloriam. Nam non omnes pro animali corpore acquirunt spirituale, id est, gloriosum, de quo ibi (1) *Paulus* loquitur.

48. QUARES XV. *Quomodo illud Pauli dictum* (2 Cor. 1 v. 8): IN ASIA SUPRA MODUM GRAVATI SUMUS SUPRA VIRTUTEM, ITA UT TAEDERET NOS ETIAM VIVERE, *cum aliis eiusdem verbis* (1 Cor. 10 v. 13): FIDELIS DEUS QUI NON PATIETUR VOS TENTARI SUPRA ID QUOD POTESTIS, *conveniat?* R. Nulla hic est *Pauli* contradictio. Nam primi textus sensus est: *gravati sumus supra virtutem*, hoc est supra vires naturae, non gratiae; nam ope gratiae *Paulus* invicto animo tribulationem hanc pertulit et superavit, ut patet ex verbis immediate subiunctis: *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitavit mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit et eruit: in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet*. Haec omnino consentiunt cum posteriore textu, *Fidelis Deus* etc., qui ita habet: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod po-*

(1) Vide *Chrysostomum*, *Theophylactum*, et alios in hunc locum.

testis, sed faciet etiam cum tentatione preventum, ut possitis sustinere.

49. QUARES XVI. *Quomodo illud effatum Pauli* (2 Cor. 11 v. 4): SI (pseudo-apostolus) ALIUM CHRISTUM PRAEDICAT, QUEM NON PRAEDICAVIMUS; AUT ALIUM SPIRITUM ACCIPITIS, QUEM NON ACCEPISTIS; AUT ALIUD EVANGELIUM, QUOD NON RECEPISTIS, RECTE PATEREMINI, *cum verbis apostoli* (ad Galat. 1 v. 8): LICET ANGELUS DE COELO EVANGELIZET VOBIS PRAETERQUAM QUOD EVANGELIZAVIMUS VOBIS ANATHEMA SIT, concordet? R. Neque in his *Paulus* sibi contradicit. Nam in utroque textu apostolus vult corinthios docere, falsum omnino esse, quod pseudo-apostoli meliorem Christum, aut melius evangelium praedicent, quam ipse praedicasset. Unde graeci patres a *Calmeto* (2) citati, primum ex allatis textibus ita explicant: « Si novi isti doctores vobis nunciarent alium Christum sive Messiam, quem nunciari oporteret, nosque minime nunciassetis, aut aliam doctrinam praedicarent, quam ego non praedicavi, aut si alia excellentiora dona Spiritus s. quae per me non accepistis, acciperetis a pseudo apostolis istis, *recte pateremini*, id est, merito ferretis tales concionatores, merito illos audiretis. At nihil tale afferre possunt huiusmodi pseudo-apostoli. Si autem tale nihil afferunt, cur illos auditis? »

Alii pariter a *Calmeto* (3) citati, verba illa primi textus: *recte pateremini*, ironice explicant, ita ut sensus sit: « Si quis alium Christum praedicat, quam eum, quem nos praedicavimus etc., *recte* (scilicet e contrario, seu non nisi stulte) talem concionatorem seu pseudo-

(2) Comment. in II. Cor. c. 11, v. 4.

(3) Ibidem.

apostolum toleraretis. » Sive autem hoc, sive priori modo primus ille textus, de quo loquimur, explicetur, numquam contradicit alteri textui ad Galat. 1, v. 8, prout consideranti facile patet.

50. QUÆRES XVII. *Quomodo illud* (2 Cor. 11 v. 18): QUONIAM MULTI GLORIANTUR SECUNDUM CARNEM, ET EGO GLORIABOR, cum effato eiusdem apostoli (ad Galat. 6 v. 14): MIHI AUTEM ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, *conveniat?* R. Nulla in his Pauli effatis est realis contradictio. Per verba enim ad galatas solum excluditur gloriatio vana: ad corinthios vero ait se gloriari in bonis externis, non ex spiritu vanitatis, sed ex fine sancto. Sensus enim citati textus ad corinthios est: Quoniam aemuli mei pseudo-apostoli gloriantur secundum carnem, id est, exteriores laudes quaerunt ab origine generis, parentibus hebraeis etc., hinc et ego iisdem gloriabor, non ex spiritu vanitatis, sed caritatis, re et necessitate ita exigente. Voluit nimirum Paulus iuxta monitum Spiritus s. (1) *stulto respondere iuxta stultitiam suam*, et ostendere, se etiam in dotibus illis externis non esse inferiorem. Hinc versu praecedente seu decimo septimo ait: *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae*, id est, quod loqui propono et intendo, in hac materia gloriationis, non est secundum Deum, si nempe secundum se spectetur, sed videbitur quasi in insipientia dictum: erit tamen secundum Deum, si spectetur

(1) Proverb. c. 26, v. 5.

(2) Vide p. 7 Scripturae contra incredulos propugn., V.T., sect. 5, art. 10.

(3) Comment. in II. Cor. 12, v. 2. Item in dissert. de Systemate mundi iuxta veterum hebraeorum sententiam.

tur, prout procedit ex charitate et necessitate, quae me sic, qui compellunt, ne vos, o corinthii, me velut vili homuncione contempto, seductoribus pseudo-apostolis adhaereatis.

51. QUÆRES XVIII. *Quodnam sit illud TERTIUM COELUM, in quod Paulus* (2 Cor. 12, v. 2) *raptus fuisse dicitur?* Antequam respondeam, obsecro, hanc obiectionem a larvato illo Zapata, contra quem iam alibi (2) egimus, et quem Stattle-*rus* in Demonstrat. evangelica §. 273 refutat, moveri, nobisque solvendam obiici. Itaque R. et cum *Cornel. a Lap. et Calmeto* (3) dico, per tertium coelum hic intelligi coelum empyreum. Veteres enim hebraei (4), quibuscum hoc loco Paulus loquitur, tres tantum coelos dari iudicabant, nimirum atmospheram aëris, in qua volitant aves, et pendent nubes et vapores, quae est coelum primum. Alterum coelum sublimius, quod planetas et sydera continet, et est coelum secundum. Tertium tandem coelum omnium sublimissimum seu empyreum, est sedes summi Numinis, ac beatorum, quo raptus apostolus ineffabilia et arcana verba audivit. Primum illud in Scripturis coelum (5) simpliciter appellatur, alterum firmamentum (6), tertium coelum coelorum (7).

52. QUÆRES XIX. *Quomodo illud* (2 Cor. 13 v. 7) *ORAMUS. . . . UT VOS, QUOD BONUM EST, FACIATIS, NOS AUTEM UT REPROBI SIMUS, cum illo altero Pauli effato*, (1 Cor. 9, v. 27): *CASTIGO CORPUS MEUM, NE FORTE, CUM ALIIS PRAEDICAVERIM, I-*

(4) Vide Calmetum, loc. cit.

(5) Matth. c. 6, v. 26, c. 8, v. 20.

(6) Genes. c. 1, v. 14 et 15.

(7) Deut. c. 10, v. 14. Item II. Esdrae, c. 9, v. 6.

PSE REPROBUS EFFICIAR, concordet? Nonne in his duobus effatis Paulus vult fieri reprobus, et non reprobus? R. Vult et non vult, sed sub diverso sensu. Nam in priore textu vox *reprobus* non sumitur prout accipitur in textu altero, id est, prout opponitur praedestino: sed prout opponitur probato, spectato, honorato. Totus enim versus septimus ita habet: *Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis: nos autem ut reprobi simus*; hoc est, oramus, ut nil mali a vobis fiat, nec ambimus apparere probati, insignes, spectabiles, ostendendo nostram, quam habemus, potestatem et auctoritatem in puniendo illos, qui inter vos delinquant: unum curamus, *ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus*, id est, reiecti, ignobiles, et velut potestate puniendi et vindicandi carentes reputemur, cum eam ostendere non possimus in vos si obsequentes sitis, et quod bonum est, faciatis, quod unice optamus. Ita *Cornelius a Lap. cum Theophylacto, Anselmo et aliis.*

CAPUT III.

De epistolis s. Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses et ad Thessalonicenses.

EPISTOLA AD GALATAS apologia est, qua s. Paulus contra pseudo-apostolos, qui ipsius ministerium in invidiam trahebant, eo quod legis mosaicae caeremonias repudiaret, ostendit, legalium necessitatem iam nullam esse. In fine epistolae galatas ad curam bonorum operum extimulat.

In EPISTOLA AD EPHESIOS s. Paulus ephesios in fide munit contra illos, qui vitam aeternam sola legis naturae observatione obtineri posse

dicebant; praeterea varios hominum status sanctissimis morum regulis informat.

In EPISTOLA AD PHILIPPENSES apostolus philippenses laudat ob perseverantiam in fide, constantiam in persecutionibus, et contemptum pseudo-apostolorum, adhortans eos ad omnem virtutem, mutuam dilectionem et Dei timorem.

In EPISTOLA AD COLOSSENSIS declarat Paulus gaudium suum ob susceptam a colossensibus Christi fidem, eosque hortatur, ut sibi caveant a superstitionibus circa discrimen ciborum et dierum, ac falsum cultum angelorum, sed in fide constantes maneant; quem in finem potiores christianae vitae regulas illis suppeditat.

In prima parte EPISTOLAE I. AD THESSALONICENSES apostolus thessalonicensibus gratulatur de suscepta feliciter fide, et inter plures persecutiones fortiter custodita: parte autem secunda eiusdem quorundam particularium flagitia perstringit quos ad aemulanda virtutum studia adhortatur. EPISTOLAM II. AD THESSALONICENSES pariter Paulus a commendatione thessalonicensium incipit: dein exponit secundum Christi adventum, et in exhortatione ad virtutis studium desinit.

53. QUÆRES I. *Quomodo inter se concordent haec duo narrationes, dum Paulus* (ad Galat. c. 1, v. 17) *ait, se statim post conversionem suam non venisse Hierosolimam, sed abisse in Arabiam; cum tamen* (Actor. 9, v. 26) *narretur, quomodo Paulus post conversionem suam Damasco fugiens, venerit Hierosolimam?* R. Ad apparentem hanc antilogiam sive contradictionem s. Scripturae diluendam duplex potest dari responsio. Prima est s. Hieronymi, et Lorini (1) dicentium Paulum

(1) Comment. in Actor. c. 9, v. 26.

mox a conversione sua venisse Hierosolymam, necessitate fugae compulsus, non autem ut *Petrus* videret, cum eoque evangelium conferret; hoc enim tantum loc. cit. ad *Galatas* negatur, dum dicitur: *Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos; sed abii in Arabiam.* Aliter respondet *Baronius* (1), et ait, Actor. 9, v. 26, non dici, *Paulum* statim a conversione sua venisse Hierosolymam, sed sensum esse, quod eo venerit post longius tempus; puta post triennium, partim in Arabia, partim Damasci exactum; cum scilicet eo venit videre *Petrus*, ut ad *Galat.* 1, v. 18, *Paulus* ait his verbis: *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Tacuit autem *s. Lucas* Actor. 9, v. 26, profectioem *Pauli* in Arabiam, quia in ea nihil memorabile acciderat, inquit *Cornelius a Lap.* (2).

Caeterum, teste eodem celeberrimo interprete (3), utraque responsio modo data probabilis est, adeoque ex narrationibus Scripturae supra recensitis nulla realis contradictio evinci potest.

54. **QUAERES II.** *Quomodo illius effati a Paulo* (ad *Galat.* 2, v. 7) *prolati*: CREDITUM EST MIHI EVANGELIUM PRAEPUTI, SICUT PETRO CIRCUMCISIONIS, h. e. Ego a Deo destinatus sum ad praedicandum evangelium gentibus, sicut *Petrus* iudaeis; quomodo, inquit, huius effati veritas salvetur; cum tamen ex Actor. cap. 10, constet, *Petrus* etiam gentilibus, et ex Actor. cap. 13, *Paulum* etiam iudaeis evangelizasse? R. cum *s. Hieronymo*, et dico: initio ecclesiae, cum iudaei a gentilibus adhuc valde abhorrerent (ut patet cap. 2 ad *Galat.* v. 12), *Petrus* et *Paulus* partiti sunt operas suas ita, ut

(1) Vide *Cornelium a Lap.* comment. in Ep. ad *Galat.* c. 1, v. 17.

Paulus iudaeis exosus, primo ac praecipue gentibus praedicaret, *Petrus* iudaeis. Hoc tamen non est ita intelligendum, ac si *s. Petrus* iudaeis tantum, et *s. Paulus* gentilibus tantum praedicasset; sed, ut *s. Hieronymus* ait, in commune hoc habebant propositi hi duo Apostoli, ut *Christo* ex cunctis gentibus ecclesiam congregarent; et, quamvis uterque eius praesertim populi quaerebat conversionem, cuius convertendi provinciam Spiritus s. illi specialiter crediderat, aliorum tamen salutem non negligebat.

55. **QUAERES III.** *Quomodo verificetur illud* (ad *Galat.* 4, v. 25): SINA MONS EST IN ARABIA, QUI CONIUNCTUS EST EI, QUAE NUNC EST IERUSALEM; cum tamen mons Sina et Ierusalem non coniungantur, sed multis milliariis dissideant? R. Haec *Pauli* verba iuxta graves interpretes non significant montis Sina, cum *Hierosolyma* coniunctionem quoad locum, sed quoad similitudinem. Vult nimirum apostolus dicere: Sicut in monte Sina, ita et *Hierosolymae* tanquam sede praecipua iudaeorum traditur lex vetus servilis: utrobique generantur filii non liberi, sed servi veteris legis, non spirituales sed carnales. Ita *Theophyl.*, *s. Thomas*, *Vatablus*, *Menochius*, aliique interpretes, ac patet ex ipso contextu, qui ita sonat: « Quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina in servitute generans: quae est *Agar*: Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quae nunc est Ierusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra. »

56. **QUAERES IV.** *Quomodo illud*

(2) Loc. cit.

(3) Ibidem.

(ad *Galat.* 6, v. 2): ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE, concordet cum illo (Ibid. v. 5): UNUSQUISQUE ONUS SUUM PORTABIT? R. Nulla hic est contradictio. Nam loco priore apostolus loquitur de hoc saeculo, in quo alter alterum suis consiliis et precibus adiuvet; posteriore autem loco de saeculo futuro, in quo quisque operum suorum onus, id est meritas operum poenas aut praemia feret. Vide *Calmetum* (1).

57. **QUAERES V.** *Quomodo illud* (ad *Ephes.* 5, v. 18): NOLITE INEBRIARI VINO, IN QUO EST LUXURIA, congruit cum verbis (Iud. 9, v. 13): VINUM... LAETIFICAT DEUM ET HOMINES? R. Quamvis vinum immodice sumptum, seu si eo quis inebriatur, soleat excitare motus luxuriae: tamen de se est creatura bona laetificans Deum, quia in libaminibus V. T. (2) et in sacrificio missae N. T. adhiberi solita: et homines, quia in corde hominis laetitiam excitat.

58. **QUAERES VI.** *Quomodo intelligendum illud* (ad *Ephes.* 5, v. 25, 26 et 27): CHRISTUS DILEXIT ECCLESIAM, ET SEIPSUM TRADIDIT PRO EA, UT ILLAM SANCTIFICARET... UT EXHIBERET IPSE SIBI GLORIOSAM ECCLESIAM NON HABENTEM MACULAM AUT RUGAM... SED UT SIT SANCTA ET IMMACULATA. *Quomodo ecclesia dici potest sancta et immaculata, cum certum sit, quod in ea multi sint iniusti, maculati, imo reprobi?* R. Si allatus textus de ecclesia triumphante intelligitur (prout *s. Augustinus* (3), eum intelligit), tunc absolute verum est, quod sit sine macula et ruga; si vero de militante, etiam haec est sancta, spectando doctrinam, sacramenta, leges, et nobiliora eius membra, puta iustos, qui, licet peccatis venialibus non omnino careant, ornati tamen sunt gratia sanctificante.

(1) Comment. in *Galat.* c. 6, v. 5.

COROLLARIUM. Quamvis in ecclesia militante multi sint iniusti seu peccatores aut etiam reprobi, tamen a parte sua nobiliore recte vocatur sancta. PRIMO, quia caput ecclesiae *Christus*, et praecipua eius membra (puta, iusti) sancta sunt. Sic dicitur ex gr. de Londino, quod sit dives, scilicet propter mercatores et alios, qui in ea urbe sunt divites, cum alioqui non pauci in ea sint pauperes. SECUNDO. Ecclesia militans dicitur sancta, quia sancta habet sacramenta, sanctam doctrinam, sanctas leges; et *Christus*, quantum est ex parte sua, eam sanctificavit, et copiosa sanctitatis media ei dedit.

59. **QUAERES VII.** *Quomodo effatum Pauli* (ad *Philipp.* 2, v. 12): CUM METU ET TREMORE VESTRAM SALUTEM OPERAMINI, cum effato *Ioannis* (I. Ioan. 4, v. 18): TIMOR NON EST IN CHARITATE: SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM, concordet? R. Optime hi duo textus concordant, utpote de diverso timore loquentes. Nam primi textus sensus est: cum metu reverentiali, et timore offendendi Deum, vestram salutem operamini. Sensus alterius: timor anxius et scrupulosus, qui tristem reddit hominem et pusillanimum, aut ita servilis, ut quis non tam culpam, quam poenam metuat, quique proin timor ex amore proprio oritur, non stat cum charitate perfecta.

60. **QUAERES VIII.** *Quomodo intelligendum illud* (ad *Coloss.* 1, v. 24): ADIMPLEO EA, QUAE DESUNT PASSIONUM CHRISTI. An igitur passio Christi non fuit plena et sufficiens? R. Fuit in se quidem plenissima, et mille mundis redimendis sufficiens; sed ei tamen aliquid deest in nobis tanquam in suis membris

(2) Vide num. 15, v. 5 et 7.

(3) L. 2. *Retract.* c. 18.

mysticis, nempe communicatio et participatio passionis ac meritorum Christi: ut scilicet Christus non tantum in se, sed etiam in suis membris, id est, apostolis aliisque fidelibus, similia patiat, hacque passione propagetur et perficiatur corpus eius, quod est ecclesia. Deus enim ab aeterno decrevit, ut Christus non tantum in se, sed etiam in suo corpore et membris, puta in ecclesia et fidelibus pateretur, et passione eorundem hoc ipso ecclesia perficeretur, dum nimirum fideles patiendo participes fiunt et similes Christi patientis et crucifixi. Ita hunc Scripturae locum eleganter explicat *Cornelius a Lap.* secutus doctrinam PP. *Ambrosii*, *Augustini*, *Chrysost.*, *Theophyl.* et aliorum.

61. QUÆRES IX. *Quomodo illud* (ad Coloss. 2, v. 11): CIRCUMCISI ESTIS CIRCUMCISIONE NON MANUFACTA IN EXSPOLIATIONE CORPORIS CARNIS, SED IN CIRCUMCISIONE CHRISTI, *intelligendum sit, cum tamen oppositum sit certum, videlicet quod Christi circumcisio fuerit manufacta, seu secundum carnem?* R. Equidem Christus circumcisus est secundum carnem: sed *Paulus* loc. cit. non loquitur de hac circumcisioe Christi, sed de illa, quam Christus a nobis exigit, nempe de spiritali circumcisioe ac resectione pravorum habituum et affectuum, prout ex contextu colligitur.

62. QUÆRES X. *An ex illis Pauli verbis* (I. Thessal. 4, v. 16): NOS QUI VIVIMUS, QUI RELINQUIMUR, SIMUL RAPIEMUR IN NUBIBUS OBVIAM CHRISTO, *non sequatur, non omnes ante extremum generale iudicium morituros; cum tamen idem apostolus* (ad Hebr. 9, v. 27) *expressè dicat: STATUTUM EST HOMINIBUS SEMEL MORI?*

(1) In 3 p. s. Thomae, tom. 2, disp. 4, sect. 2.

R. In hac re et ad solvendam hanc quaestionem interpretes afferunt duas diversas sententias; prout *Suarez* (1) recte recenset. Prior sententia est plerorumque praesertim ex *latinis* docentium eos, qui usque ad extremam iudicii diem, inter vivos fuerint, omnes ad breve tempus morituros, et statim iterum ad vitam resuscitandos ita, ut ipsorum mors instar levis somni et brevissimi futura sit, longe diversa a vulgari morte, quae in horroris atque corruptionis statum nos redigit. Iuxta hanc proin sententiam omnes Aadae posterii sine exceptione aliquando morientur. Altera sententia PP. praecipue *graecorum* est, illos homines iustos, qui tum temporis vixerint, neque morituros, neque resuscitandos; sed solum immutandos, seu transformandos, non gustata morte, eorumque corpora, quae ex semet corruptioni et morti essent obnoxia, ab eadem praeservanda, sicque illos repente immortalitate induendos, et ad gloriosum statum redituros. Caeterum teste *Suarez* (2), neutram ex praedictis duabus sententiis hactenus ecclesia definivit. *Modestius ergo*, ut *Suarez* ait, *loquuntur, qui ab omni censura abstinentes sese, primam sententiam probabiliorē, ac simpliciter veram arbitrantur esse.* Certe s. *Augustinus*, qui prius lib. 2 de peccat. merit. c. 31, alteram *graecorum* sententiam sequebatur, postea (3) re melius discussa, eam retractavit, et primam *latinorum* sententiam fuse stabilivit.

Qui autem oppositam *graecorum* sententiam amplexi sunt, per consequentiam doctrinae dicere debent, illud Scripturae effatum, *statutum est hominibus semel mori*, limitate et cum exceptione hominum; de quibus supra diximus, intelligen-

(2) Loc. cit.

(3) Loc. cit.

dum esse; sicut Scriptura etiam alijs in locis iuxta regulam s. *Augustini* (1) et *Hieronymi* (2) absque falsitate non semel tribuit omnibus, quod reapse tantum plerisque convenit.

63. QUÆRES XI. *Quomodo illud* (II. Thessal. 2, v. 4) *de Antichristo dictum: ADVERSATUR ET EXTOLLITUR SUPRA OMNE, QUOD DICITUR DEUS, AUT QUOD COLITUR, concordet cum illa de Antichristo, praedictione* (Daniel 11, v. 38): DEUM AUTEM MAOZIM IN LOCO SUO VENERABITUR; ET DEUM, QUEM IGNORAVERT PATRES, EIUS COLET Auro ET ARGENTO. *Num Antichristus poterit simul se extollere supra omne quod dicitur Deus, et tamen colere ac adorare idolum Maozim?* R. Et dico cum *Cornelio a Lapide*, aliisque interpretibus (3): Deus *Maozim*, id est, Deus fortis, de quo hic sermo est, vel denotat daemonem Antichristo familiarem, quem ille privatim colet, licet caeteroquin seipsum Deum esse publice iactabit, et super omne, quod dicitur Deus sese extollet; aut ex sententia *Theodoret* erit idolum representans Antichristum, quod iste ab omnibus adorari praecipiet.

64. QUÆRES XII. *Quomodo illa Pauli de Antichristo praedictio* (II. Thessal. 2, v. 8): QUEM DOMINUS IESUS INTERFICIET SPIRITU ORIS SUI, *concilianda sit cum verbis* (Apoc. 19, v. 20) *ubi dicitur bestia, id est, Antichristus cum suo pseudopropheta, vivus mittendus in infernum? Quomodo Antichristus et interficietur a Christo, et tamen vivus in gehennam praecipitabitur?* R. Utrumque hoc fieri poterit. Praecipit-

(1) Vide Bollandistas, seu Acta Ss., tom. 54, id est tom. 6 mensis augusti, die 28 de s. *Augustino*, pag. 336, n. 703, ubi patebit, II. de Civit. Dei diu post librum de peccatorum meritis, et remissione absolutos esse.

tabit enim Christus vel per se, vel potius per *Michaëlem* archangelum suae sententiae executorem e sublimi aëre Antichristum deorsum: unde terra dehiscente vivus corpore et anima in tartara a daemonibus arripietur, ac a Christo interficietur solo spiritu oris sui, id est, solo iussu et nutu suo, vel (ut *Calmet* ait), tanta facilitate, ut satis futurum sit, ut Dominus oris sui flatum emittat ad eundem vincendum et delendum. Sicut autem *Core*, *Dathan* et *Abiron* (4) probabilius in ipso descensu ad infernum fuerunt mortui antequam ad infernum pertingerent; ita probabilius in ipso descensu ad inferos occidetur Antichristus: dicitur tamen vivus mittendus in infernum, quia vivus eadem demitti et descendere incipiet; sed in via, antequam pertingat ad infernum, suffocabitur, et interficietur. Vide *Cornelium a Lap.* (5), aut alios interpretes in hunc locum.

CAPUT IV.

De epistolis s. Pauli ad Timotheum, ad Titum et ad Philemonem.

Duas epistolas ad *Timotheum* a s. *Paulo* scriptas habemus.

In EPISTOLA I. AD TIMOTHEUM apostolus hunc suum discipulum instituit circa munus episcopi.

In EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM apostolus idem fere argumentum urget, quod in epist. I. ad eundem, et in epistola ad *Titum*.

In EPISTOLA AD TITUM s. *Paulus* hunc monet, quales esse debeant, quibus divini ministerii munus commissum est: quanta cura iudaizantes et haereticos reprimere, quibusque modis reprimere debeant.

(2) L. 1, q. in Genes, q. 17.

(3) Epist. 146 ad Damasum.

(4) Num. 16, v. 53.

(5) Comment. in num. 16, v. 53.

IN EPISTOLA AD PHILEMONEM apostolus Philemoni commendat Onesimum servum fugitivum, furtique fors reum, ut illum iam ad Christum conversum in gratiam rursus recipiat.

65. QUAERES I. *Quomodo illud* (I. Timoth. 1, v. 9): *LEX IUSTO NON EST POSITA, concilietur cum verbis* (ad Rom. 13, v. 5) *praecipientibus observantiam legis*: *SUBDITI ESTOTE NON SOLUM PROPTER IRAM, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. Quomodo iustus potest esse liber a lege, et simul obligatus lege?* R. Apostolus in primo textu non vult dicere, iustos lege non obligari, sed solum iustis legem oneri non esse; eo quod non terrore poenae, sed ex charitate sponte faciant id, quod lex Dei iubet. Sensus igitur horum verborum: *Lex iusto non est posita*, iste est: lex lata non est ad iustos coercendos; iusti enim sponte sua se conformant legi, amore iustitiae et obedientiae, non timore poenae, quam lex transgressoribus minatur; sed lata est, ut minis suis et poenis coërceat impios. Hinc ex verbis illis: *Lex iusto non est posita*, male inferunt libertini, iustos non obligari lege etiam decalogi: in lege enim sunt tria, obligare videlicet, dirigere, et coërceere sive punire. Duo priora lex exercet in omnes etiam iustos: tertium solum in iniustos. Unde s. Chrysost. in hunc locum pulchre inquit: *Iustus non est sub lege, sed supra legem*. Et Aug. Enarrat. in psalm. 1, *Iustus ait, non est sub lege, quia in lege Domini est voluntas eius: qui enim in lege est, secundum legem agit. Qui sub lege est, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus*.

66. QUAERES II. *Quomodo illud effatum* (I. Timoth. 2, v. 14): A-

(1) L. 1 contra Iovinianum.

DAM NON EST SEDUCTUS, *intelligendum sit; cum utique ab Eva seductus fuerit?* R. Et cum s. Hieronymo (1), Augustino (2), Ambrosio, Chrysost., et aliis dico: *Adam proprie non est seductus, hoc est, a serpente, aliove aliquo volente decipere, deceptus*. Licet enim ex inordinato coniugis amore, ei morem gesserit, haec tamen eum decipere non intendebat, sed tantum allicere ad esum sui pomi. Hinc etiam Adam non se excusavit ut ab Eva deceptum, sed tantum ut allectum ab ea, tantumque ait, se comedisse, ut illi quasi sociae morem gereret: *Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*. E contrario *Eva proprie fuit seducta, quia a serpente volente eam decipere fuit decepta*. Unde et ab hoc deceptore se deceptam profitetur, dicens: *serpens decepit me; Adam vero non fuit a serpente deceptus: serpens enim non ausus fuit virum aggredi, sed mulierem, quam facilius decepturum sciebat*.

67. QUAERES III. *Quomodo illud* (I. Timoth. 2, v. 14): *DOCERE AUTEM MULIERI NON PERMITTO, concordet cum verbis apostoli* (ad Titum 2, v. 3): *ANUS SIMILITER IN HABITU SANCTO, NON CRIMINATRICES, NON MULTO VINO SERVIENTES, BENE DOCENTES, etc. Nullane inter haec duo effata Pauli contradictio?* R. Nulla. Paulus enim solum non permittit mulieri, ut in publico, hoc est, in ecclesia doceat; non autem prohibet, imo hortatur, ut privatim, et domi suae liberos, ceterosque domesticos in iis, quae ad salutem pertinent, sedulo erudiat.

68. QUAERES IV. *Quomodo illud Pauli* (I. Timoth. 4, v. 3): *ABSTINERE A CIBIS, QUOS DEUS CREAVIT, DOCTRINA EST DAEMONIORUM, concii-*

(2) L. 14 de Civ. Dei. c. 11.

liari possit cum illo apostolorum decreto (Actor. 15, v. 20): *VISUM EST SPIRITUI S. ET NOBIS, NIHIL ULTRA IMPONERE VOBIS* (id est, gentibus ad Christum conversis), *QUAM... UT ABSTINEATIS VOS AB IMMOLATIS SIMULACRORUM, ET SANGUINE, ET SUFFOCATO ET FORNICATIONE. Quomodo haec duo concordant?* R. Optime sibi concordant. Nam in primo textu solum damnatur doctrina prohibens comedere certos cibos quasi per se malos, et a malo Deo, seu principio mali procreatos, ut olim simoniani, saturniani, ebionitae, marcionitae, manichaei et encratiatae abstinendum docebant ab omni carne animalium. In altero vero textu iubentur christiani antiocheni abstinere a certis cibis, ne christiani iudaizantes, seu ex iudaismo ad legem Christi trans-euntes offendantur: non quasi cibi illi per se mali essent, sed ob alias rationes (1). Nam iudaei propter antiquam consuetudinem abominabantur sanguinem et suffocatum; dein comestio eorum, quae simulacris seu idolis fuerant immolata, poterat iudaeis dare occasionem suspicandi, quod gentiles, si talia comederent, vellent redire ad idololatriam.

69. QUAERES V. *Quomodo illa Pauli verba* (I. Timoth. 5, v. 14): *VOLO IUNIORES (viduas NUBERE, concordent cum his* (I. Cor. 7): *VOLO OMNES VOS SICUT MEIPSUM, nempe servare virginitatem?* R. Apostolus non dicit contraria. Nam in primo textu iunioribus viduis dumtaxat remedium incontinentiae ostendit, scilicet ut nubant, cum est in eis periculum luxuriae, prout patet ex contextu, et recte advertit s. Augustinus (2), s. Ambrosius, s. Chryso-

(1) Vide supra num. 41. Item Menochium in Genes. c. 9, v. 4. Et in Actor. c. 15, v. 20

stomus, aliique. In altero vero textu caelibem vitam pariter non praecipit apostolus, sed solum suadet, nisi aliqui sint in propinquo periculo incontinentiae: *melius est enim nubere, quam uri*, ait ibidem, v. 9.

70. QUAERES VI. *Quomodo intelligendum illud Pauli* (ad Titum 1, v. 15): *OMNIA MUNDA MUNDIS; COINQUINATIS AUTEM ET INFIDELIBUS NIHIL EST MUNDUM. An ergo omnia christianorum opera sunt munda et sancta, infidelium vero opera omnia immunda seu peccata?* R. Nec omnia christianorum opera sunt munda, nec omnia infidelium opera sunt immunda seu peccata. Sensus enim Paulini textus est longe alius. Loquitur nempe apostolus ibi de delectu ciborum, quem iudaizantes inducebant. De iis enim, eorumque fabulis hic agi patet ex vers. 10, 11, et 14. Nam (ut Cornelius a Lap. in hunc locum observat) iudaizantium nonnulli dicebant cibos aliquos esse natura sua immundos, uti postea eos secuti docuerunt manichaei et marcionitae: alii vero censebant cibos quosdam esse immundos et christianis vitandos, non in se, sed propter legem Moysi Levit. cap. 21, eos vetantem. Hos refutat hoc loco apostolus dicens: *Omnia munda mundis*, q. d. christianis, qui sanguine Christi in baptismo mundati sunt, nullus cibus, nulla res, vel natura sua, vel propter legem Moysis, habenda est immunda; sed omnia eis sunt munda, ut omnibus vesci et uti sine scrupulo possint. *Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum*, hoc est, iudaizantibus et infidelibus nullus eiusmodi cibus est mundus, semperque peccant, sive comedant tales cibos, quos putant prohibitos esse, sive eosdem non comedant. Si

(2) L. De Bono viduitatis, c. 8.

enim eos manducant, peccant ex conscientia culpabiliter erronea; quia putant, se hac comestione peccare, et tamen comedunt: si non manducant, peccant mente superstitiosa, credentes cibos hosce esse prohibitos, cum tales non sint. Recte s. *Augustinus* (1) hunc ferme in modum ait: *Infidelis sive comedat, sive abstineat, non sancte vel iuste comedit vel abstinet, quia prava opinione utrumque facit.*

71. QUÆRES VII. *Quomodo verisimile redditur, quod Paulus epistolam ad Philemonem ex divina inspiratione scripserit; cum tamen haec epistola non ad totam ecclesiam, sed dumtaxat ad privatum aliquod negotium Pauli pertineret, solamque profugi servi (nempe Onesimi) domino suo commendationem contineret?* R. Equidem non pauci ob rationes in hac quaestione propositas olim dubitarunt, utrum epistola ad Philemonem sit Deo inspirante scripta; prout in praefatione ad hanc epistolam testantur *Hieronymus, Chrysostomus, et Theophylactus*. Verum patres, ut infirmas illas rationes everterent, et criticis ora obstruerent, ostenderunt, fidem ab ecclesia huic epistolae, tanquam ab apostolo ex Spiritu s. inspiratione exaratae, semper adhibitam, ipsumque *Marcionem* eam ab epistolis Pauli nunquam exclusisse: non a libri magnitudine auctoritatem creari, cum prophetarum quorundam ex. gr. *Abdiae, Nahum, etc.*, vaticinia in veteri testamento occurrant, spectata brevitate sua, qua scripto extant, aequalia aut parum diversa a brevitate epistolae ad *Philemonem*. Spiritum s. non minus sese praesto exhibuisse apostolo, cum ad fideles scribit ea, quae comitatis aut grati animi

(1) L. 51 contra Faustum, c. 4.

erant, quam cum de sublimioribus mysteriis loqueretur: paucissimas certe Pauli epistolas tanquam canonicas accipiendas, si earum singulae, quae res aliquas non ad totam ecclesiam, sed ad *Paulum* peculiariter pertinentes attingerent, reiciendae essent; denique multa servis et dominis, vel episcopis in suos subditos aut oves utilissima, et fidelibus omnibus ad sui solatium et utilitatem accommodata, in eadem ad *Philemonem* epistola contineri, qualia sunt etiam vilium hominum, servorum et profugorum christianis curam esse habendam, nulli homini, ac ne servo quidem fugitivo, aditum ad gratiam et vitam aeternam esse praclusam, neque de ullius, quantumvis fraudulentis et perditis salute esse desperandum, etc.

CAPUT V.

De epistola s. Pauli ad Hebraeos.

Cum *Paulus* hanc epistolam ad hebraeos omnes toto orbe dispersos sed maxime ad hebraeos in Iudaea degentes scribit, eosque propter fidem Christi a suis vehementer vexatos, in fide confirmare, aliosque, qui non crediderant, ad Christum adducere cupit, id in tota epistola agit, ut Christum maiorem Moyse, evangelium praestantius lege mosaica, sacerdotium Christi sacerdotio levitico melius esse demonstrat. Deinde, ut eos ad viriliter perferenda omnia pro Christo exhortetur, ad permanendum in officio, ad Christi promissa fideliter expectanda.

Duplex autem controversia de hac epistola decidenda est, una de auctore, altera de auctoritate eius, utrum nimirum eadem epistola canonica sit, nec ne? Responso ad haec duo disceptationis capita ex solutione sequentium quaestionum patebit.

72. QUÆRES I. *An d. Paulus apostolus epistolae ad hebraeos auctor sit?* R. Affirmative. Antequam autem hanc sententiam, quam ecclesia graeca et latina uno ore et consensu (1) amplectitur, stabiliam, observo, quod de auctoritate huius epistolae nonnulli olim dubitaverint. Nam ex antiquis sectariis (ut alios taceam) *Marcion*, teste s. *Hieronymo* (2), epistolam ad hebraeos neque *Pauli* esse, neque sacram docebat: ex recentioribus vero, teste *Ribera* (3) idem senserunt *anabaptistae, servetiani*, et alii nonnulli. Inter hos eminent *Lutherus*, qui (4) hanc epistolam nec esse *Pauli*, nec ullius apostoli contendit, utpote quae quaedam contineat contra evangelicam et apostolicam doctrinam. *Luthero* subscripserunt *Brentius* (5), *Kemnitius* (6), et *Magdeburgenses* (7), cum aliis sectariis illorum temporum, exceptis calvinistis; *Calvinus* (8) enim ait, hanc epistolam esse vere apostolicam, et errare hac in parte lutheranos; an autem *Pauli* sit, an alterius apostoli, ut *Barnabae* aut *Lucae*, dubitat *Calvinus* (9). Quocirca ministri calvinistae in ea confessione quam obtulerunt *Pisciaci*, articulo 3, ponunt hanc epistolam in numerum divinarum Scripturarum, sed tanquam auctoris incerti. Praeterea, teste *Thoma Ceboni* (Theol. revelat. lib. 3, q. 2, art. 2, § 3), deistae quoque negant, epistolam ad

(1) Vide *Calmeti* praefationem in Ep. ad Hebraeos, art. 4.

(2) Praefat. in Ep. ad *Titum*.

(3) Comment. in epist. s. *Pauli* Ap. ad Hebraeos in prooemio, c. 1.

(4) In Prologo epist. ad Hebraeos.

(5) In Confess. Wirtemberg. de s. Scriptura.

(6) In examine 4 sess. Conc. Trident.

(7) Cent. 1, lib. 2, c. 4, col. 55.

(8) In instit. impressa anno 1557, c. 8, § 216.

hebraeos auctorem habere *Paulum*. Praeter hos manifestos sectarios catholici etiam quidam, et praesertim latini de auctore huius epistolae olim dubitarunt, et propterea eam minoris fecerunt, uti testantur *Eusebius* (10), et *Hieronymus* (11) dicens: hanc epistolam a quibusdam latinorum negari esse *Pauli*, sed vel *Barnabae*, vel *Lucae*, vel *Clementis* romani pontificis. Addit *Sixtus Senensis* (12), a quibusdam etiam attribui *Tertulliano*. Denique idem dubium, num s. *Paulus* sit auctor epistolae ad hebraeos, iam olim sopitum, iterum revocarunt in lucem, teste *Bellarmino* (13), et renovarunt *Erasmus* (14) et *Caietanus* (15).

Verum hanc epistolam *Pauli* apostoli esse, facile probari potest ex antiquissimo ecclesiae universae sensu, et ex characteribus huius epistolae, *Paulum* auctorem suum esse, luculenter manifestantibus, ac demum ex infirmitate argumentorum alteri, quam *Paulo* hanc epistolam tribuentium.

73. Itaque assertio nostra ostenditur I. Ex ANTIQUISSIMO ECCLESIAE UNIVERSAE SENSU, quo *Paulus* illius epistolae auctor una voce statuitur. Apud graecam enim ecclesiam (16) nulla unquam hac de re ambiguitas fuit; ecclesia vero latina, quamvis ab illa inter *Pauli* epistolas recensenda aliquando abstinuerit, cum nullus ex latinis patribus tribus pri-

(9) Loc. cit. c. 10, § 85, et c. 16, § 25.

(10) Lib. 5 Hist. c. 5.

(11) In lib. de viris illustribus, in voce: *Paulus*.

(12) Lib. 7 bibliothecae sanctae.

(13) L. 4 de verbo Dei, c. 17.

(14) Ad finem annotationum in epistolam ad Hebraeos.

(15) Ad initium commentariorum in eandem epistolam.

(16) Vide *Calmetum* Proleg. in Ep. ad Hebraeos, art. 4.